

funt appellati, ut Guilielmum illum Angliæ Vi-  
ctorem quem plerique omnes Normanniæ Ducem  
dicunt, Guil. Malmesburienſis Normanniæ Comitem  
vocat. Sed cum Ducem, tum Comitem nomen  
fuiſſe officii, ex hac formula creandi Ducis vel  
Comitis apud Marculphum antiquum ſcripto-  
rem conſtat. *Præcipue regalis in hoc perfectè collaudatur  
clementia ut inter populum cunctum bonitas & vigilantia  
requiratur personarum: nec facile cuiſlibet iudiciariam con-  
venit committere dignitatem niſi prius fides & ſtrenuitas  
videatur probata. Ergo cum & fidem & utilitatem tuam  
videmur habere compertam, actionem Comitatus, Du-  
catus, vel Patriciatuſ in pago illo quem antecſſor tuus uſ-  
que nunc viſus eſt egiſſe, tibi in agendum regendumque  
commiſimus: ita ut ſemper erga regimen noſtrum fidem illi-  
batam cuſtodias, & omnes populi ibidem commanentes,  
ſub tuo regimine & gubernatione degant & moderentur, &  
eos recto tramite ſecundum legem & conſuetudines eorum  
regas: Viduis & pupillis maximus deſenſor appareas: la-  
tronum & malefactorum ſcelera à te ſeveriſſime punian-  
tur, ut populi bene viventes ſub tuo regimine gaudentes de-  
beant conſiſtere quieti: & quicquid de ipſa actione in ſci-  
dicationibus ſperatur, per temetiſſum annis ſingulis noſtris  
erariis inferatur.* Honorarius titulus eſſe cœpit ſub  
Othone Magno circa annum 970. Ille enim ut ſi-  
bi arctius viros bellicoſos & prudentes aſtringe-  
ret, Regalibus quæ dixit inſignivit: Regalia hæc  
erant dignitates, vel prædia in feudo. Dignitates  
erant Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valuaſores,  
Valuaſini. Hæreditarius titulus ſerius eſſe cœpit in  
Gallia, nec antequam Philippus III Rex Gallia  
conceſſit, ut Britannia Duces jam inde vocaren-  
tur, qui & Duces & Comites antea promiſcue  
nominati. In Anglia vero Normannico tempore,  
cum ipſi Normannici Reges, Normanniæ Duces  
eſſent, longo tempore neminem eo honore or-  
narunt, donec Edwardus III Edwardum filium  
Cornwallia Ducem creaverit, per ſertum in capite,  
annulum in digito, & virgam argenteam; ut Nor-  
mannia Duces olim per enſem & vexillum tra-  
ditum, poſtea per cincturam gladii Ducatus, &  
circulum aureum aureis roſulis in ſummitate ex-  
ornatum. Idemque Rex Edwardus III in Parla-  
mento filios ſuos Leonellum Ducem Clarentia,  
& Ioannem Ducem Lancaſtria per cincturam gladii,  
impoſito capitibus pellito pileo, cum circulo ex auro &  
margaritis, & Charta tradita. Creavit jam inde plures.  
erant hæreditarii apud nos Duces ſubinde creati cum ejuſ-  
modi verbis in Charta, Nomen, titulum, ſtatum, ſtilum, lo-  
cum, ſedem, præ eminentiam, honorem, autoritatem, digni-  
tatem Ducis N. damus, & concedimus, atque per gladii  
cincturam, cape & circuli aurei impoſitionem in capite, &  
traditionem virgæ aureæ realiter inveſtimus.

Marculphi  
formule.

Stegomus  
lib. 5. Re-  
gni Italici.

Poſtea vir-  
ga aurea  
fuit in uſu.  
Matth.  
Paris de  
Ioanne  
creato Du-  
ce Nor-  
mannia.

Marchio-  
nes.

4. H. 4.

MARCHIO, id eſt, ſi verbum ſpectes, Præfe-  
ctus limitaneus, ſecundum à duce honoris locum  
habet. Hic titulus ſerius ad nos pervenit, nec an-  
te Richardi ſecundi tempora cuiquam delatus.  
Ille enim Robertum Vere Oxonia Comitem, de-  
licias ſuas, Marchionem Dublinia designavit,  
merumque erat honoris nomen. Nam qui antea  
limitibus præfuerant, Lord Marchers vulgo vo-  
cabantur, & non Marqueſſes, ut nos vocamus. A  
Rege vero creantur, per cincturam gladii, ac cappe  
honoris & dignitatis impoſitionem, Chartamque tra-  
ditam. Nec pigebit hic referre, quod in Parla-  
mentarios Rotulos relatum invenitur. Cum Io-

annes de Beaufort ex Comite Somerſetti à Ri-  
chardo ſecundo Dorſetia Marchio creatus, &  
eo titulo ab Henrico IV exutus eſſet, Commu-  
nitasque Angliæ in Parlamento à Rege ſupplex  
peteret, ut illi amiſſum Marchionis nomen reſti-  
tueret; ille ipſe ſe oppoſuit, palamque dixit hanc  
eſſe novam dignitatem, penitusque majoribus  
ignotam, & ideo ſe neutiquam expetere, & pla-  
ne nolle habere.

COMITES, qui tertium locum tenent, à  
majoribus noſtris Germanis habuiſſe videamur.  
Illis enim olim, ut author eſt Tacitus, Comites erant  
qui Principibus conſilium, & autoritas ſemper adſent.  
A Romanis tamen ad nos, uti etiam ad Francos,  
deveniſſe exiſtimant alii. Imperatores enim adul-  
to jam Imperio, domesticum quandam ſenatum  
circa ſe habere inceperunt, qui Cæſaris Comi-  
tatus appellatus, & ipſi quorum conſilio in bello  
& pace utebantur, Comites dicti, unde in Inſcrip-  
tionibus antiquis frequens eſt, COMITI IMPP.  
Pauciſque annis ita invaluit, ut Comitis nomen  
omnibus magiſtratibus datum, qui ſacrum Comi-  
tatum obſervarunt, vel qui ex eo prodirent:  
& inde nomen poſtea porrectum ſit ad omnes  
qui alicui negotio præpoſiti erant, Suidæque de-  
ſinitur Comes ὁ λαὸν ἀρχων, ut Cuiacius nos docuit.  
Ex quo etiam docemur ante Conſtantinum Mag-  
num Comitis nomen, ut dignitatem denotaret,  
in uſu non fuiſſe. Hic autem cum imperii Roma-  
ni formam novis diſtinctionibus mutaret, &  
quam plurimos beneficio ſuo devincire, atque  
honore cumulare niteretur, Comitis titulum  
honorarium ſine adminiſtratione primum inſti-  
tuit: eratque Comitiva facultas quædam, & pri-  
vilegium, Principem non ſolum prodeuntem,  
ſed in Palatio quoque & locis ſecretioribus comi-  
tandi; poſſe illius epulis, privatiſque ſermoni-  
bus intereſſe. Vnde apud Epiphanium legitur,  
ὅς καὶ παρ' αὐτῶν ἡ βασιλείας ἀξιωματικῶν Κομητῶν ἔτιχε. id eſt,  
Qui etiam Comitum dignitatem à Rege conſecutus. Tan-  
dem hoc beneficio ornatis alias dignitates cum  
functione conceſſit, & viciffim, qui in magiſtratu  
& Reipub. adminiſtratione eſſent, illo honore  
affectit. Hinc Comitis nomen dignitatem, atque  
præfecturam, ab eo tempore ſignificavit, initio  
temporariam, poſtea vitæ æqualem. Deinceps  
vero cum res Romana in plura regna diſtrahere-  
tur, hic etiam titulus retentus, & Saxones noſtri,  
quos ſua lingua Ealdorman. Latine Comites & Con-  
ſules dixerunt: eoſdemque Eorlas id eſt honoratos,  
ſua lingua Dani vocarunt, ut author eſt Ethel-  
werdus, quo nomine emollito Earles hodie nobis  
appellantur. Diuque ſane & ſimpliciter hoc no-  
mine nuncupati ſunt, tandem loci etiam adjecti-  
one, cui cum autoritate præerant. Necdum  
hæreditaria erat hæc dignitas. Primi vero hære-  
ditarii Comites in Gallia erant, ut obiter adno-  
tem, Comites Britannia. Verum cum Guiliel-  
mus Normannus jam victor ſummam rerum in  
hoc regno adminiſtraret, Comites cœperunt eſſe  
feudales, hæreditarii, & patrimoniales, qui et-  
iam, ut ex Cenſuali Angliæ libro conſtat, ſine ulla  
omnino adjectione Comites appellati, ut Comes  
Hugo, Comes Alanus, Comes Rogerus, &c. Poſtea, ut in  
antiquis Chartis videre eſt, loci nomine adjun-  
cto creati erant Comites, & tertius Comitatus  
dena-

In Parati-  
ſtis ad Cod.

Eorles ho-  
die Earles.  
P. Pirbeus  
in Memo-  
rab. Cam-  
pania.